



NATOLIA  
olim  
ASIA MINOR.



PETRVS BELLONIVS in peregrinationum suarum doctissimis obseruationibus, inquit, hanc Asiæ partem ( ab antiquis Minorem appellatam, ) hodie à Turcis Natoliam, aut Anatoliam appellari, à Græco vocabulo, *ανατολια* quod Orientem significat. Eoque vocabulo cōprehendi omnem Asiæ Regionem vltra Propontidem, & Hellespontum (cui Ottomanorum prosapia præest) sitam; nempe vniuersam Phrygiam, Galathiam, Bithyniam, Pontum, Lydiam, Cariam, Paphlagoniam, Lyciam, Magnesium, Cappadociam, & Comagenam. Quorum Regionum conditionem, viuendique morem atque ritum hodiernum scire qui desiderat, eundem Auctorem tanquam testem oculatum consulat. Videat & Andream Theueti Cosmographiam Orientalem; ( vt vocat. ) Nicolai Nicolaij obseruationes Orientales; & Petri Gillij Bosphorum. Ex omnibus Asiæ regionibus Paphlagoniam solam æs proferre, eiusque Regem (quem Ismaëlem vocat) ex ea quotannis tributum nomine quinque myriades staterum auri accipere, scribit Laonicus Chalcondilas. Videtur tamen hic eum non de vniuersa Asia hoc velle intelligi, quum addat, hoc æs, secundum Iberiæ æs, optimum perhiberi. Iberia enim Asiæ regio est ad mare Caspium. Sed de Asia quæ Minor cogminatur, cuius pars Paphlagonia est, hoc fortasse verum erit. Rhodum Insulam, quæ huic Asiæ Minori adiacet, descripsit Theodoricus Adamæus Suallebergus.

AEGYPTVS.

AEGYPTI apud omnes Auctores, ob antiquitatem, & in ea res præclare gestas, memoria & claritas nemini non nota est. Hæc mari Mediterraneo, Sinu Arabico, Bugia Regione, & Libyæ desertis clauditur. Nilus fluius totius Orbis maximus eam per medium secat. In ea sunt Alexandria, Emporium olim celeberrimum; & Cayrus, hodie inter maximas Africæ Vrbes numerata; Et demum stupendæ illæ ob altitudinem omnibus sæculis decantatæ Pyramides, inter septem Orbis miracula habitæ. Quorum omnium cognitionem qui velit, ex veteribus legat, Diod. Siculum lib. 1. ; Strabonem; Herodotum; Plinium, & Amm. Marcellinum lib. 22. Ex Neotericis, Petrum Bellonium; Dominicum Nigrum; Laurent. Coruinum Noouforensis; & Guilielmum Tyrium lib. 19. cap. 24. Sed imprimis Ioannem Leonem, qui eam diligentissimè perlustrauit, omnesque eius Vrbiū antiquitates, situm, populosque, figillatim describit. Ludouicus Nugarola Dialogum ædedit, inscriptum Timotheū, siue de Nilo. Scripsit & Ioannes Goropius Becanus Niloscopium, inter sua Becefelana. Ædidimus nos olim Tabulam Ægypti maiori forma, ex antiquis & recentioribus Auctoribus, veterem simul & nouam eius delineationem pro nostro modulo continentem. Hanc autem, quam hic cernis, ex Tabulis in Italia impressis habemus.

CARTHAGINENSIS  
PORTVS.

CARTHAGINEM Romani Imperij æmulam; & alterum post Romam, Orbis terrarum decus, describere, nostri non est instituti; Sed quia hunc eius Sinum prostræ in Italia hac forma vidimus, eum hoc nostro operi etiam inserere non ingratum Geographiæ candidatis existimauimus; atque hisce Pauli Iouij verbis exprimere visum fuit. Carthaginensis sinus ea forma est, vt eius ingressus ab alto ad nauigantibus abscondatur; quoniam Clupeæ promontorium, antiquis Mercurij & Pulchri vocatum, multum in Occidentem Solem sese extendit, & introrsum demum se reflectens, alterum efficit promontorium, olim Apollinis, hodie Zafranum à nautis appellatū. Inde verò lunato ambitu ad Guletæ fauces recuratur; & ad læuam Radæ Vrbes calidarum aquarum salubritate celebris, regionem relinquit. Ex aduerso autem collapsæ Carthaginis situm spectat. Hæc ille. Sed apud Ioannem Leonem etiam loca huic vicina, lustrare licebit.



Walters. ORT 9 (1573)  
UCB-Halle KS: B II 7 [ ] 15

